

Werk

Titel: Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla
Untertitel: Libri tres
Autor: Petitus, Petrus
Verlag: Lankisch; Guntherus
Ort: Lipsiae; Lipsiae
Jahr: 1686
Kollektion: VD17-Mainstream
Gattung: Altertumskunde
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN737373385
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>

LOG Id: LOG_0008
LOG Titel: Caput IIX. - Caput IX.
LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

$\tau\eta\nu$, vt mendose scriptum est, sed περὶ την Σί-
βυλλαν legamus. Sic Plutarchum & veritati
amicum, & sibi ipsi concordem faciemus.

Hactenus quid de Sibyllarum numero dicen-
dum putem, exposui: nempe hanc vnicam tan-
tum fuisse. In qua opinione constituenda si
Græcorum nonnullis elaboratum est, vt Viues
ad cap. 23. libri 18. de ciuitate Dei autumat: non
equidem minus ea causa meam hanc putem do-
ctrinam, immo, eo potiori iure meam, quod huic
lucis non parum mea opera confido allatum &
roboris ad fidem in animis hominum non præ-
occupati iudicii obtinendam.

CAPVT IX.

*De Sibyllæ ad vaticinandum facul-
tate, & aliis ad eam rem pertinenti-
bus; ac primum, an aliqua animæ
humanae insit vis prænoscendi
futura?*

HAc perfunditus disputatione, ad alia quæ in
hac Sibyllæ rerum consideratione se offre-
runt tractanda deinceps me confero; quando
non obiter tantum de hac vate, & ob aliud,
nempe ob ea oracula quæ eius nomine feruntur,
disputare institui, sed ipsius causa, vt quæ de ipsa
in veterum monimentis scitu digna extant per-
scripta, in lucem proferantur. In his igitur pri-
ma occurrit indeoles siue facultas præsagiendi fu-
tura,

tura, quam illi eximiam fuisse in confessu est. Hanc vero facultatem licet ab exteriore principio & altiore, quam humana ferat natura, pendere haud dubium sit, non tamen hoc perinde exploratum est, nullam in huius anima aut corpore vim & proprietatem fuisse a natura inditam, qua magis idonea illi societati, quam cum cœlitibus habuisse dicitur, capaxque diuini afflatus fieret. Quod idem de aliis quoque vatibus, qui eadem prædicendi facultate celebres fuerunt, quæri potest.

Parecbasis

De vaticinandi potestate; an sit homini innata, & de eius causis.

Quin etiam non defuerunt, qui hoc in controuersiam vocarent, num scilicet inter animæ humanæ facultates & nonnulla, qua futura præsentire possit, sicut qua præterita, puta quæ memoria vocatur. Quo sane argumento Ammonius apud Plutarchum in libro de oraculis desitis disputat, non esse alienum a natura animæ humanæ id munus diuinandi, hancque potestatem qua futura præsentiat. Nam quod anima nostra quorundam naturaliter recordatur, hinc patet, posse hanc ea quæ amplius non existunt, sed fuerunt, cognoscere: cur igitur non etiam ea quæ nondum sunt, sed futura sunt, & quod

discrit-

discrimen in iis fingi potest quæ pariter non sunt in natura? Hæc ibi dubitatio est Ammonii, vel potius Plutarchi, quam non satis penetrat, contentus locum indicare & fontem aperire disputationis. Quid igitur obstat, quo minus paulum nos oblata occasione in eo campo exerceamus?

Fortasse aliquis ad propositam dubitationem, quæ ex memoriæ cum vaticinio comparatione ducitur, hoc esse dicet discrimen eorum quæ memoria repetimus, ab iis quæ vates prædicunt; quod illorum species in memoria repositæ manent, ex quibus tanquam picturis, quæ olim fuerunt, ab iis qui ea viderunt, audierunt, aut quo alio sensu perceperunt, vel etiam gesserunt, denuo cognosci possint; horum autem quæ futura sunt nullæ in animo relinquuntur species. Ego vero ostendo hoc discrimen esse nullum: quoniam eadem species perinde nobis ad præterita, præsentia, & futura perspicienda inferuire possunt. Quod primum de præsentibus & præteritis probbo. Illa ipsa quæ nunc sunt præterita, quorum recordamur, olim fuerunt præsentia, cum scilicet primum fierent, & sensu obseruantur: ergo & quæ nunc species sunt præteritorum, & memoriæ inserviunt, olim præsentium fuerunt, cum scilicet illa, quorum nunc meminimus, fierent, & speciem suam sensibus nostris imprimerent. Quod autem & eadem sit ratio specierum per quas futura prospiciuntur, non minus liquido declarari potest;

si quod experientia notum est, cogitemus, nihil tam nouum, tam inusitatum in tempore futuro accidere posse, cuius non species ac signa in animo nostro pridem per sensum accepta inhaerent. Exemplo id ostendo: Nam cum Prophetas Isaias Judæis vaticinans de Christi aduentu, id oraculum pronunciaret: *ecce virgo concipiet & pariet filium &c.* quid quæso, si rem ipsam in se contemplamur, magis nouum aut incredibile dici potuit? cuius tamen rei tam prodigiosæ, tam incredibilis sententia, species omnes, siue, ut philosophi loquuntur, phantasmata in omnium, qui id oraculum audiebant aut legebant, animis fuisse deposita, nemo non fateatur. quando constat, neminem fuisse Iudæorum illorum, qui non omnes eius propositionis terminos, propriis ex speciebus animo suo infixis, quam notissimos & euidentissimos haberet: puta, virginis, conceptus, partus, filii. quippe quorum nihil non manifestum, & in communi hominum cognitione positum. Eadem ratio est aliorum quæ futura prænuntiantur. Vix enim, ut dixi, fieri potest, ut aliquid posteris seculis accidat ita inusitatum, ut non per eas, quas nunc in animo species habemus, exprimi possit, si possit mens componere eas species, ut ex iis apta unius de altero prædicatio atque enunciatio, futuro post euentui congruens, efficiatur. In quo sane est difficultas & labor diuinandi futura.

At enim uero acrius contemplanti non mi-
nor

nor appareat in recolendo, quæ a mūltō tempore transacta sunt, & non sunt amplius, difficultas & labor. Quippe & horum solæ seorsim species in animo remanere videntur; composi^{tio} autem ipsarum, quæ tunc facta est, cū res præsentes essent & fierent, pridem cum sensu & cogitatione euanuit. Cum enim animi facultas ipsa hanc specierum compositionem efficiat, ipsaque nihil aliud sit quam animi contemplatio; necesse est, desinente talium rerum contemplatione, simul desinere & aboleri specierum compositionem, vt pote quæ in sola animi cogitatione consistat, & ab ea omnino dependeat. Par igitur esse videtur difficultas, reuocare eam, quæ in præterito tempore facta est, specierum compositionem; & nouam ex iis quæ sunt in animo phantasmatis excitare, quæ sit futuro rerum euentui congruens: si quidem solæ rerum non existentium species in animo vtrōbique habentur.

Fortasse aliquis dicet, in phantasmate siue imagine rei præsentis, dum aliquid fit, aut auditur, aut spectatur, aut quopiam alio sensu usurpatum, duplēm contrahi habitudinem ex ea cognitione: unam, qua eius qui cognouit animam respicit; alteram, qua eam temporis differentiam, in qua id factum est. Quo fit, ut is qui alicui olim rei interfuit, per eandem rei transactæ speciem in animo relictam, & se eam vidisse, aut gessisse, ex ea, quæ ad ipsius facultatem illi ineſt, habitudine cognoscat; & in tali tempore, per aliam habitudi-

nem ad certam temporis differentiam. Sed hæc commentatio non tollit difficultatem ; rursus enim quærendum, vnde & qua ratione tales habitudines rationesque iisdem rerum phantasmatis ingenerentur. Quæ igitur harum causa affери potest? Non illa quæ tunc extitit cognitio rei per aliquem sensum, quippe hæc tunc rei erat præsentis: sensus enim tantum est præsentium. Quomodo igitur idem phantasma siue species, quæ tunc cum res sensu usurpabatur erat rei præsentis, postea efficitur imago rei absentis & præteritæ? quid noui illi accidit, & quæ causa eius mutationis? Non enim sensus, qui est præsentium; non etiam intellectus, qui a temporis differentiis abstrahit. An igitur ipse temporis fluxus & successio huius causa dicetur? At tempus nihil addit rebus, imo detrahit potius, vt Philosophus lib. 4. Natural. Auscultationis docet : ὅντος γνώσης μᾶλλον εἶδος ναζ' αὐτὸν αἰσθητός (χρέωντος) ηγενέσεως, patet igitur, tempus ex se magis clavis & interitus in aliquo esse causam, quam generationis. Causam mox subiungit : ἐκπατικὸν γένος ηγετεύοντος ναζ' αὐτήν: est enim mutatio secundum se eius quod prius fuit amotio. Quod autem de mutatione dicitur, idem & de tempore, quod ad hanc prædicationem attinet, dici potest: cum temporis natura in ipsa mutationum successione ab animo numeranda ac computanda consistat.

Restat igitur vt dicamus, animæ ipsi innatam esse

esse habitudinem, qua se ad rerum transactarum nonnullas conuertat, atque ita earum memoriam replicet; eo quod iis olim, dum fierent, sensu & cogitatione interfuerit. Quod si vero consentaneum fatemur; cur non pariter dicemus, aliquam esse animæ concessam facultatem, qua se ad futura interdum conuertat, certa specierum sensu acceptarum agitatione atque compositio-ne, ad eum scilicet modum, qui futuris euentibus congruat?

Nec mediocre potro huic rationi accedit firmamentum ex μαντικῆς, hoc est, diuinationis ipsius consideratione, quam omnes fatentur non minus ad præterita & præsentia, quam futura extendi. Vnde illud est Homeri de Calchante vate heroicorum temporum, in Iliad. I.

τοῖσι δὲ ἀνέση
Καλχας Θεσπείδης, οἰωνοπόλων ὅχ' αἴσιος,
Ος ἦδη Τάτ' εόντα, τά τ' εασόμενα, ταχ' τ'
εόντα.

hoc est: *His surrexit Calchas Thestoris filius, augurum longe optimus, qui quæ sunt, quæ futura sunt, quæque prius fuerunt, sciebat.* Qualem & valutum facultatem in Proteo Virgilii expressit in quarto Georgicorum:

*nouit namque omnia vates,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura in-
bantur.*

Qualem & in Mose nos viguisse cognoscimus multo certiori testimonio sacrarum literarum;

cui cum primas in hoc vaticinandi munere Ju-
dæi tribuant, interim hunc videmus non minus
de præteritis quam futuris stupenda mortalibus
oracula edidisse, qui tam diserte, tanquam præ-
sens fuisset Deo creanti, de vera mundi origine,
hominis ortu, & calamitate primorum paren-
tum, tum primarum familiarum initiis & suc-
cessione, ante literas natas perscripsit; ne quis
putet, a prioribus tam occultarum rerum memo-
riam ad eum scriptorum monumentis propaga-
tam. Ut enim fateamur, multa hunc de primo-
rum hominum rebus potuisse fama accipere, re-
rum memoria a parentibus ad filios auditione
subinde transmissa; non tamen tam certa ho-
rum fides esset, ut non esset ambigendi locus, si
Mosaica illa historia sola hominum fama nitere-
tur: neque diuinæ illæ literæ haberentur, sed
humanæ. Enimuero de iis, quæ hominis or-
tum præcesserunt, aliter non potuit quam ut va-
tes cognoscere. Ex quo efficitur, præterita ad
eam vim diuinandi pertinere non minus quam
futura.

Cum ergo ex his constet, vtriusque temporis
res sub eandem cadere diuinandi facultatem;
quærendum est, quid diuinatio a memoria diffe-
rat? Sane non in ipsis rebus differentia esse vide-
tur: quippe quibus id commune omnibus, ut
fuerint, amplius non sint aut fiant. Eadem
igitur facultas vaticinandi & recordandi; solum
hoc discrimen, quod plura yates de præteritis &
occul-

occultiora dicunt, quam hominum quiuis, quantumvis memoria excellens, dum recordatur. Ex his efficitur, memoriam & diuinationem differre tantum penes magis & minus. Qui enim recordatur, ad ea tantum quæ vidit, quibusque interfuit, vim illam qua præterita cognoscuntur extendere potest; vates ad ea etiam quibus nunquam interfuit, & quæ nullo vñquam sensu usurpauit, vim mentis extendit. Cæterum, vt vulgo dicitur, magis aut minus speciem non mutant; cumque ea facultas qua recordamur, miras in hominibus differentias habeat, in multis mediocris & vix ad usum sufficiens, in nonnullis ad miraculum usque & ostentationem credita sibi repræsentet; velut in his qui duo millia non minus semel audita, quo ordine dicta sunt, referre potuerunt: vt Seneca primo libro Declamationum de seipso prodit; quis affirmare possit, non esse & istud inter memoriae proprietates & miracula, vt aliquis possit occulta præteriti temporis, quibus neque interfuit ipse, neque sensu ullo animum adiunxit, hac ipsa, quæ ad præterita est, mentis coniuersione consequi? cuius operationis modum licet explicare non valeamus, hanc tamen penitus derogare humanæ animæ non æquum est; cum neque modum, quo animus illa, quæ nobis oblata olim, siue sentientibus siue cogitantibus, non amplius autem existunt, reuocat, satis quisquam explicare valeat: quemadmodum supra in exponendis difficulta-

tibus, quæ circa eam præteriorum replicatio-
nem quæ fit memoria, ostendebamus.

Sitamen ea est memoriaræ natura & definitio,
vt non sit nisi eorum quæ prius cognita fuerunt,
vtpote earumdem rerum, quarum est obliuio,
cui contraria est; esto sâne hæc animi facultas,
qua occulta præteriti temporis indagantur, di-
versa a memoria; non tamen negemus hanc hu-
manæ animæ inesse, qua etiam futura prænoscat,
cui sit tributum per species rerum iam animo infi-
xas quidem, sed eodem modo ad præterita & fu-
tura se habentes, ad præteritas cognitiones neque
amplius in natura existentes proprio motu con-
uersti.

Altera Plutarchi coniectura ad asserendam
animæ diuinationem ab experientia ducitur mul-
torum, qui morti appropinquantes vaticinantur,
cuius rei complura extant exempla. in quibus
Hectoris apud Homerum, qui moriens propin-
quam Achilli mortem denunciat: item Calani,
qui Alexandro regi familiaris fuit: item cuius-
dam Rhodii, quem refert Posidonius morien-
tem sex æquales nominasse & dixisse, qui pri-
mus eorum, qui secundus, qui deinceps moritu-
rus esset; vt est apud Ciceronem lib. i. de Diui-
natione. Ex quo sic Plutarchus arguit: Non
est verisimile, aliquas animam lucrari facultates
& proprietates in discessu e corpore, quas ante-
ta non haberet, cum cor oris vinculis tenere-
tur; multo est verisimilius, si quam morti vi-
cina ostendat, qua antea non vteretur, habuisse
qui-

quidem sibi innatam, sed obscuratam & impeditam corporis contagio: quam tunc exerat, cum resolui incipit, & minus membrorum caducorum & humorum sarcina premitur. Qua de re locus insignis extat apud Aretæum Cappadocem libro I. de acutis morbis: *περὶ θευτικοῦ τοῦ ἀλεύθερου σώματος ἐν τῷ πόστοντι φάρμακῳ* ἐπει δὲ τάδε ἐξήντασε ή νέστος, καὶ διπλὸ τῶν ὄφεων τὴν ἀχλὺν ἔλει, ἐρέγοι τὰ τε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ γυμνὴ τῇ ψυχῇ γίγνονται μάνιες αἰτημένες οἱ δὲ ἐς τοσὸν δε λεπτότητος ὑγεῶν καὶ τῆς γνώμης ἀφιγμένοι, καὶ μάλα τοι ἀθηγίγνονται, ἐξηρωμένης ἡδη τῆς ζωτικῆς διωμάτου. Etenim antea quidem anima in limo, humoribus scilicet & tenebris versabatur: postquam vero hæc morbus absumpsit, & caliginem ab oculis remouit, tunc & que in aere sunt ægri narrant, ac nuda anima vates veridici efficiuntur; cæterum qui ad tantam humorum ac mentis subtilitatem adducti sunt, vix convalescunt, vitali facultate iam in aerem conuersa. Quibus consentanea habet Tertullianus in libro de Anima, capite 53. de animarum excessu, digna quæ hic legantur: *Hinc denique euenit, sepe animam in ipso diuortio potentius agitari, sollicitiore obtutu, extmordinaria loquacitate, dum ex majore suggestu jam in libero constituta, per superfluum, quod adhuc cunctatur in corpore, enunciat quæ videt, quæ audit, quæ incipit nosse.* Si enim corpus istud Platonica sententia carcer, cæterum Apostolica Dei templum

cum in Christo est: sed interim animam conseruo
suo obstruit, & obscurat, & concretione carnis in-
fæcat; unde illi velut per corneum specular ob-
soletior lux rerum est; procul dubio cum vi mor-
tis exprimitur de concretione carnis, & ipsa ex-
pressione colatur, certe de oppenso corporis erum-
pit in apertum, ad meram & punam & suam lu-
cem; statim se metipsam in expeditione substantiae
recognoscit, & in diuinitatem ipsa libertate resi-
piscit: ut de somno emergens ab imaginibus ad
veritates, tunc & enunciat, & videt, tunc exul-
tat, aut trepidat, prout paraturam diuersorii sui
sentit, de ipsis statim angeli facie euocatoris ani-
marum, Mercurii poetarum.

Ita igitur causam explanat, qua sit ut homi-
nes sub mortem potius, quam superiore vitæ
tempore, futura augurentur & prænuncient.
Tunc scilicet animam maiori ex parte esse ex-
tra corpus; aliqua autem, nempe postrema, ad-
huc illi hærere. Hanc partem animæ foris ex-
tantem *superfluum* vocat Tertullianus: quasi
redundantem eius substantiam; quod respectu
corporis intelligendum est, quia ea animæ pars
corpus amplius non informat, vtpote extra
ipsum posita. Per hoc igitur superfluum, in-
quit, quod adhuc cunctatur in corpore, hoc
est, pars animæ alia nondum corpore soluta,
enunciat quæ videt, quæ audit, quæ incipit
nosse. Ita animæ egressum e corpore declarat
suo modo, hoc est, pinguiore Minerua; vt alias
fo-

solet vbi cumque de anima differit, quam ut totum quoddam partibus extensum cogitat, adeo obtusa mentis acie, ut (quod miratur Augustinus in homine tam facundo) nunquam potuerit capere, aliquid esse animam, si extensa non sit. Sed tamen ex hoc loco apparet, hunc non esse alienum ab eorum sententia, qui aliquam animae inesse facultatem, qua futura praesentiant, suspicantur. Quod si verum est, tunc demum homines hanc vim incipere usurpare atque in promptu habere, cum mors iis instat; id fieri putandum est ea ratione, quam Plutarchus dicto loco affert, quod anima morte instantे minus se adiungit corpori iam afficto, neque amplius idoneo animae domicilio aut instrumento. Neque enim in eius e corpore discessu mutatio vlla fit loci, aut ipsa vere migrat motu locali, sed solum cessat operari per corpus, quia ad nullam functionem amplius utile. Quo fit ut omissa inutili sarcina, in se conuertatur, incipiatque operari secundum nobiliores facultates, e quibus illa est qua futura praeuidet.

His conjecturis tertia ex eodem Plutarcho adiungi potest hoc modo: quæ ratio est vini ad eos quibus iram aut libidinem largiore potu accedit, eadem est halitus e specu erumpentis, qui Pythiam Delphis incitabat; atqui qua ratione vinum dictos affectus excitet, notum est: non enim quia vim ipsam & facultatem irascendi aut libidinandi affert potanti, sed

iam natura ad eos motus procluem ita calore excitat, vt actu moueatur. Cur igitur non idem iudicemus de halitu, quo Pythiam constat solitam inflammari ad vaticinandum; vt non auctorem hunc & causam vaticinii, sed incitamentum putemus facultatis animæ insitæ ad futurorum euentuum rationes videndas.

Sed & Posidonius, vt refert Tullius in primo de Diuinatione, varios diuinationis per somnum enumerans modos, hunc primo loco affert: quod praeuideat animus ipse per se se, quippe qui Deorum cognitione teneatur. Si per se: ergo per vim sibi a natura insitam. Cuius profecto argumentum insuper videri possit, innata omnibus cupiditas cognoscendi quæ sibi euentura sint. Quia cupiditate haud scio an alia vehementior animos incessat. Hinc propensio vulgi in ariolos & omne diuinantium genus, nec minor principum, quorum secreta vix sine mathematicis; vt exemplo etiam Poppææ Neronis coniugis Tacitus demonstrat in primo Historiarum: *nullo*, inquit Plinius lib. 30. cap. I. *non auido futuri de se sciendi*. Quod maxime pateret, si quot modos futuri indagandi ea curiositas inuexit, sigillatim vel solis superstitionum nominibus indicatis percensere vellem. Ex quo intelligi potest, non esse futuri notitiam supra hominis captum, sed posse saltem in nonnullis expleri naturæ appetitum; alioqui frustra esset: natura autem nihil in casum facit.

Sic

Sic Aristoteles initio transnaturalis philosophiæ, non esse verum homini indeprehensibile, probat argumento eius cupiditatis, qua omnes mortales tenentur, aliquid cognoscendi: *πάντες ἀνθρώποι εἰδένεις ὁρέγονται Φύσην*. Si enim eius appetitus, qui est omnibus innatus, non esset in aliquibus expletio: frustra hæc generi humano indita propensio esset. Quod, ut dixi, naturæ omnia sapienter instituenti repugnat. Cum ergo etiam omnes naturaliter quæ sibi euentura sint, nosse expertant, eodem modo consequens videtur, quosdam reperiri inter homines, qui naturalem potentiam ad effectum naturæ viribus redigere valeant. Atque hæc sunt quæ meo quidem iudicio probabilius afferri possint ab iis, qui inesse nobis a natura vim quandam præsciendi futura contendunt. Non tamen his sic trahi debemus, vt non potius eos audiamus, qui animam humanam non propriæ vlla facultate, sed vi aliena excitari ad vaticinandum docent. Quos recte sentire, paucis sed certissimis rebus deinceps ostendo.

Primum videndum est, quæ sint illa circa quæ vates & fatidici versantur. Horum autem, auctore Augustino Nipho in lib. de prophetia cap. 6. triplex est genus: vnum est eorum quæ aliquorum non omnium sensus & intelligentiam excedunt; vt meam facultatem & aliorum hominum qui hic Lutetiæ degimus, quæ nunc Romæ aut Constantinopoli aguntur: non enim

enim eorum, qui illis in locis versantur, & ignota illa nobis tractant, notitiam talia fugiunt. Eiusmodi & quæ quiuis mente agitat, dum penes se habet, nec foris profert: hæc enim aliis tunc ignota, non illi qui cogitat. Alterum genus eorum quæ omnium prorsus hominum captum superant, toto genere homini occulta; licet non Deo & intelligentiis: vt religionis mysteria. Tertio in genere sunt quæ suapte omnium hominum sensus & intelligentiam fugiunt: vt futura contingentia, quæ in mentis humanæ arbitrio posita, nihil in se habent finitum quo in unam potius quam in alteram partem cadant. Hæc igitur omnia quibus occulta sunt, dum sunt occulta, non posse vlla animi nostri industria deprehendi, sed sola diuinatione, certum est. Cæteris autem præteritis, id quod dixi, de solis futuris contingentibus demonstrasse sufficiet.

Quod igitur omnem animi humani facultatem excedant futura contingentia, hinc sciri potest: Omnis cognoscendi facultas in homine, in sensus exteriores, & internos, & mentem diuiditur: sed nulla harum potentiarum quæ contingentia futura sunt deprehendi possunt: ergo omnino humani animi captum excedunt. Horum quæ hic sumuntur, prius notius est quam vt probatione egeat; alterum, in quo esse difficultas potest, ostendo. Futura contingentia dicuntur proprie, quæ non sunt quidem, possunt autem esse aut non esse, quia ab humana voluntate

de-

dependent, ut fiant aut non fiant. Interim dum nondum sunt, nihil esse in iis cur potius fore quam non fore iudicentur, manifestum est, cum in hominis sita sint voluntate: qui homo nondum est; ita enim pono; ut magis incertum esse constet, cuius nondum causa extet in natura; neque quis propositum voluntatis fingat multo tempore agenda præcedens, quod ratione immobili persistat: tamen incredibile est, aliquid tam certum esse posse in humanis consiliis, ut mutari non possit, præsertim si longum tempus effectum præcedat. Nego igitur eiusmodi contingentia, vlla ex notis humani animi facultatibus deprehendi posse. Non enim vlo sensuum exteriorum, qui omnes sunt rerum præsentium; neque interiorum, qui quodcumque agitant externis sensibus acceptum ferunt: quia per species animo impressas rerum externalium, quibus vnis in animam ingressus per sensus externos, vt omnes fatentur; sed neque mente: quia nihil in hac esse, quod non prius sensu aliquo occupatum fuerit, constans dogma est philosophorum. Sed propter motas supra dubitationes, quibus ostensum est easdem rerum species memoria infixas, quemadmodum præteriorum cognitioni, quæ recordatio dicitur, naturaliter inseruiunt, sic & futurarum prævisioni non minus suapte natura esse accommodatas: solum in eo esse discriminem, ad vtrum rerum genus anima intendat, præteriorum an futura-

rum;

rum: non esse autem, cur anima ad præteritas intentione reflecti possit, ad futuras non possit, cum & hæ & illæ pariter non sint; ob hanc, inquam, & alias dubitationes, accuratius, quid in his mens possit, aut non possit, perscrutari operæ pretium est.

Mens quidem altissima est animæ potestas, & quodammodo immensa: nihil enim est quod non cognitione complecti possit, omnium est capax quæ cœli ambitu continentur, si quidem & Dei, qui ipsum mundum continet. Non tam existimandum est, ita esse felicem, ut citra causæ vlli exterioris impulsu omnia in se ipsa contemplari possit, ut visum est Platonis, qui rerum omnium rationes ei naturaliter inditas ac vernaculae credidit, quas in se conuersa intueri valeat, quantum

non noxia corpora tardant
terreniq; hebetant artus moribundaq; membra:
vt Poetarum doctissimus Platonis Musa affla-
tus loquitur. Quin neque si talium ratio-
num ab ortu plena esset, omnia cernere pos-
set: non enim rerum particularium & indiui-
duarum discrimina & proprietates, certis mate-
riæ finibus, locis, temporibus diuisas; quarum
varietas ad vnam communem rationem reduci
nullo modo potest. Quamobrem neque eius
hominis mens qui Lutetiae est, ex se locis pro-
cul dissita cognoscere potest, neque si quæ ter-
ris alte infossa & recondita visum excludant,
hæc

hæc quisquam vi vlla mentis deprendat: multo igitur minus eadem animi vis rerum euentus futuros contingentium prospicere, ac certa cognitione signare possit. Quarum enim rerum neque principia in se anima habet, neque signa vlla, aut indicia ex quibus percipiat, qui possit earum ex se notitiam capere? Quod autem anima in se non habeat rerum principia, notius est quam vt probatione egeat. Ita enim esset causa efficiens aut formalis earum. Sed neque notas aut indicia habet contingentium quæ nondum sunt; vnde enim illi, & qua necessitate talia illi inessent? Neque est quod verbis abutar in re manifesta. Si quis enim tam insanus esset, vt hoc affirmare vellet, hunc melius omnium hominum experientia quam ratio vlla refelleret. Abunde igitur his quæ dixi, cuius non socordi neque proteruo probatum & constitutum videri debet, non posse contingentia futura ab homine propria animi industria cognosci.

Consequens est igitur, vt iis quæ supra negotium facere visa sunt, respondeamus. Primæ difficultati occasio data ex memoriae consideratione, & futurorum cum præteritis comparatione: ceu ratio exigeret, vt anima eodem modo se habeat ad futura atque ad præterita, eo quod tam præterita quam futura non existant. Sed longe disparem esse rationem horum & illorum certum est: non tamen facile est ostendere disparitatem. Quod enim vulgo dicitur,

de-

deesse animæ species rerum futurarum , vanum esse ostendimus supra : cum eadem sint præsentium , præteriorum , & futurorum species . Quæ enim nunc præsentia sunt , hæc antequam es- sent futura erant : eadem & non multo post , quia non manent , præterita dicentur . Quod autem de rebus dico , idem pari iure de rerum vestigiis , quæ in animo conseruantur , affirmari potest . Immo rerum consequentia id esse necessarium docet . Eo proinde reddit disputatio , vt explicetur causa , quamobrem eadem rerum species cuius pro arbitrio res præteritas exhibere possit , futuras non possit .

Ego hanc huius disparitatis causam inue-
nio , quod earum rerum , quæ transactæ sunt , ordinem videre possumus , instantium & futu-
rarum non valemus . Cum enim omnia quæ
fiunt , in aliquā temporis parte efficiantur , quia
tempore continentur , necesse est in iis esse or-
dinem quo fluunt , & alia aliis succedunt ; quæ
successio tempus vocatur . Nihil enim aliud est
tempus quam rerum successio , eo quod aliæ
prius in ortum dēntur , aliæ posterius . Hunc
autem ordinem successionis secundum prius &
posterior , in iis quæ præterierunt , facile anima
videre potest ; non autem in futuris quæ non-
dum facta sunt . Tametsi enim & futura suo
ordine procedunt : non tamen eum ordinem
anima videre potest , quia contingentium con-
tingens quoque erdo : ergo incertus & indefini-
tus

tus, quod ad rerum ipsarum conditionem attinet; quæ, ut dictum est, possunt esse & non esse, quia in hominum arbitrio positæ. E contrario ordo, quo res præteritæ extiterunt, certus est, neque certus tantum, sed etiam immutabilis, adeo ut ne diuina quidem potentia mutari possit. Non ergo mirum videri debet, quod anima hōrum ordinem percipiat, etiam postquam in natura esse desierunt. Neque enim ordo ille vna cum rebus interit, sed ipsa successione manet. Nam & rebus prioribus destructis earum successio persistit: cuius hæc natura est, ut præterita neque amplius existentia præsentibus & post futuris alliget; aliter successio intelligi non potest. Anima igitur humana, qui ordo rerum non existentium certus est, hunc videt; non autem qui incertus indefinitusque est.

Magna porro in his admiratio incessat necesse est altius contemplantes, quomodo multorum sibi succendentium, ideoque partim existentium, partim non amplius existentium ordo, qui ex his resultat, ad animum veniat ab eoque perspiciat. Si quidem ordo qui in successione est ex omnibus resultat, dictum est autem, eorum quæ transeunt alia amplius non esse, alia esse dum transeunt: ex quo efficitur, ut in ordinem etiam veniant & sint quæ amplius non sunt; sequitur etiam, ut abolita fiant apta & conjuncta præsentibus: non ens scilicet enti.

Neque enim ordo est nisi eorum quæ apta in-
ter se coniunctaque. Absurdum autem vide-
tur, quæ non sint amplius, ea dici apta existen-
tibus. Accessit prope ad hanc difficultatem
beatus Augustinus capitalis ingenii theologus,
& mentis perspicacitate cæteros omnes super-
gressus ecclesiæ magistros, non tamen satis di-
stincte explanauit. Sic enim de ordine rerum
qui in successione est loquitur in libro duode-
cimo de Genesi ad literam cap. 16. Itemque in
auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem con-
tinuo spiritus in se ipso formaret, ac memoria re-
tineret, ignoraretur secunda syllaba vtrum secun-
da esset, cum iam prima utique nulla esset, quæ
percussa auré transferret. Ac sic omnis locutionis
vñs, omnis cantandi suavitas, omnis postremo in
actibus nostris corporalis motus dilapsus occideret,
neque ullum progressum nanciseretur, si transfa-
ctos corporis motus memoriter spiritus non tene-
ret, quibus consequentes in agendo connecteret.
Quos utique non tenet nisi imaginaliter a se fa-
ctos in se. Ipsarum etiam futurarum motionum
imagines præueniunt fines actuum nostrorum.
Quid enim agimus per corpus, quod non cogitan-
do præoccupauerit spiritus, omniumque visibilium
operum similitudines in se ipso primitus viderit,
& quodammodo disposuerit? Quibus similia ha-
bet in quarto Confessionum libro cap. II. Nam
& quod loquimur, inquit, per eundem sensum car-
nis audis; & non vis utique stare syllabas, sed
trans-

transuolare, ut aliæ veniant, & totum audias. Ita semper sunt omnia quibus vnum aliquid constat, & non simul sunt omnia ea quibus constat. Vbi aduerbium *semper* intelligendum est de syllabarum vnius post aliam transitu & successione non interrupta.

Apparet autem, non aliud ab ipso afferri modum quo anima percipiat ordinem in iis quæ transeunt, & partim sunt & non sunt; nisi quia eorum quæ successiue fiunt, dum fiunt, imagines sibi ipsa efformat in spiritu animali, atque efformatas conseruat. Verum vt iam supra attigi, hæc ratio non satisfacit: quia aliud est, eorum quæ fiunt species in sensu interiore conseruari, aliud in iis ordinem quo facta sunt progressusque ipsius rationem videre. Aliud res intueri, aliud ordinem. Quid igitur? An aliquam in animo imprimi ordinis illius quo res fluunt imaginem dicemus? Nequaquam. Quare? Quia in talibus ordo non fit, nisi in eo quod eorum quæ transeunt, vnum prius fit, alterum posterius, & sic per omnia quæ in transitu spectantur. Cæterum huius quod prius, & eius quod posterius, quæ imago animo insigi possit, quæ quidem simul persistat & conseruetur, non facile intelligi potest. Oportet namque his, quatenus vnum est prius alterum posterius, commune esse aliquid & vnum, in quod animus intendens vtrumque concipiat. At nihil his commune fieri posse ex eo intel-

ligi potest, quod ne Platonis quidem asseclæ au-
debant in quibus esset prius & posterius horum
ideas ponere, vt Aristoteles testatur in primo
Moralium cap. 4. οἱ δὲ κομίσαντες τὴν δόξαν
ταῦτην, ἐποίειν ιδέας ἐν ὅις τὸ φρέστερον καὶ
τὸ ὕστερον ἔλεγον. Quod igitur animus videt or-
dinem prioris & posterioris, non ex illa fit
propria prioris & posterioris specie in memo-
ria. Solum cuiusque intensionis animæ ali-
quod relinquī in ipsa vestigium, habitum, pro-
pensionem necesse est, qua se ad id quod fa-
ctum olim cognitumque est mente aut sensu
denuo referat. Ita fit, vt anima prioris & po-
sterioris eorum quæ in tempore aguntur co-
gnitionem capiat, dum mens proprietatum actu-
um atque intentionum ordinem videt. Quod
sane consequitur comparando eos actus inter-
se: in qua comparatione intelligit non simul
extitis, sed aliqua inter eos intercessisse. Cum
enim hos non modo distinctos numero, sed
etiam quibusdam aliis interpositis dissitos con-
cipiat, exinde ordinem in iis cogitat necesse
est: qui ordo aliis esse non potest, nisi prio-
ris & posterioris.

Ac horum quosdam quomodo fluxisse ac trans-
actos esse intelligat, non difficile est assequi & ex-
plicare: nempe ex nouissimis & præsentibus faci-
le alios præcessisse adeoq; præteritos esse intelli-
git: in illis autem præteritis quomodo eundem
prioris & posterioris ordinem videat, non est

pro-

promptum declarare. Aristoteles quidem in præterito id esse prius definit, quod est remotius ab ipso nunc, hoc est, præsenti in quo versamur; posterius, id quod minus ab eodem distat. Sed non expeditur animus: rursus enim noua exoritur dubitatio, vnde id animæ innotescat, eorum quæ præterita sunt, alia longius ab hoc in quo sumus puncto temporis, quædam proprius abesse? Verum hæc contemplatio longiores habet explicatus, quam præsens capiat disputatio. Satis est in præsentia ostendisse causam, quam obrem anima rerum transactarum neque amplius existentium seriem & tractum percipere valeat: quod scilicet illis cognitione interfuerit, & circa eas res aliquo sensu aut mentis agitatione vim suam exercuerit. Ex quo contraria illi propensionem atque habilitatem ad similes cognitionis præteritæ actus putandum est, per quos in iis ordinem prioris & posterioris comparando videre possit. Quorum cum nihil in futurorum contingentium sequenti processu, quod ad animam pertineat, afferri possit, merito ad illa facultatem eius extendi negamus, sed ut ad illa intendat aliunde hanc illuminari atque impelli necesse esse ex dictis sequitur: cum nulla in ipsa animæ natura vis, nullus excogitari possit modus, quo se ad talia conuertat. Hac igitur solutione facessat prima ratio earum, quæ initio ad afferendam humanae naturæ vaticinandi facultatem propositæ sunt.

Altera ratio sumpta fuit ab eorum exemplis, qui morte instantे prædicere visi sunt quæ postea euenerunt. Et conuenit, in eo statu positionum animam minus corpori esse immersam, utpote quæ tunc a corpore resolui incipiat. Si autem anima eo ipso quod minus arcte corpori alligatur, fit prudens futuri, cum nihil separatio ipsa a corpore nouæ facultatis animæ adiungat; sequitur, quam in separatione anima habet vim prospiciendi quæ post euentura sunt, habuisse antea, toto coniunctionis tempore, & semper habere, quod ea vis naturæ eius conueniat, nempe innata & vernacula. Cæterum facile rationis huius deprehenditur vanitas: qua accipitur aliquid & pro manifesto ponitur, quod non est manifestum; nempe sola a corpore separatione animam sic comparari, ut quæ antea de futuris videre non poterat, videre possit, neque aliud quicquam interuenire causæ. Quod, fateor, si verum esset, reliquum quod infertur sequeretur. Id vero inficiamus nos; dicimus autem, nihil aliud separatione a corpore quam impedimentum auferri, quod animæ affert corporis societas & consuetudo, quo minus rerum diuiniorum, quarum est capax, usum capessat. Est enim animæ natura eiusmodi, ut possit cælitum appulsi moueri, multaque eorum in lumine videre, quæ aliter nulla ipsius industria & contentione consequi possit; quod careat facultate qua illa suopte ingenio

nio usurpare possit, etiam si tota a corpore secedat. Ex his patet solutio. Dicimus enim, sub animæ e corpore discessum, minus hanc corpori esse immersam, utpote ex parte liberatam; non quia partibus constat, ut Tertulliano visum est, sed quia minus corpore tunc ad summam redacto imbecillitatem tardatur. Ex quo efficiuntur, ut magis in se conuerti incipiatur, magisque capax efficiatur eorum quæ menti conueniunt: in quibus est, posse moueri a Deo & intelligentiis, nouamque earum munere cognitionis lucem accipere, qua non solum immutabilem & sempiternam rerum diuinorum veritatem contempletur, sed etiam eorum quæ hic continentur, nondum existentium sed futurorum numerum intuitu perrumpat.

Tertia ratio quæ dicitur ex comparatione halitus Pythiam afflantis, cum vini fumis & ardore ad iram aut libidinem largius potos exstimalente, & ipsa proprius excussa vanescit. Fatalemur quidem, ut vini vapores non dant potantibus eam vim qua irascantur, aut venerea concupiscant; sed homines corpore accenso sic comparare ut vehementius moueantur: sic neque antri Delphici halitum contulisse Pythiæ vim fatidicam, sed solum aliquam affectionem, qua magis apta esset atque idonea prorumpere in voces diuinæ. Hactenus enim non male comparatio procedit: ut vinum disponit hominem ad irascendum, sic halitus terræ ad vati-

cinandum. Non tamen hinc quisquam recte inferat, ex duobus hominibus, qui extrinsecus ad aliquem actum sui generis eliciendum corpore aut animo præparantur, si vni eorum naturalis insit facultas, quæ sit proprium & adæquatum talis actionis principium, continuo & alteri oportere eius quam exerit functionis proprium in se & sufficiens principium ipsi a natura tributum continere. Satis est, ita istum cui deest facultas, sic eo quod illi accidit affici & comparari ad agendum, ut cuius efficiendi in se principium non habet, aliunde suscipiat. Quod plane de Pythia dicendum censemus. Nam neque hæc facultatem vaticinandi plenam habuit a natura: neque ab halitu terræ, cui nulla eiusmodi vis inesse potuit, omnino accipiebat; solum talis exspirationis admisitione cum spiritu animali in furorem & ecstasim potuit conuerti, quo alienata a præsentium sensu atque impedita ratione, aptius dæmoni organum fieret ad expediendum per eam munus qualis qualis prædictionis rerum futurarum.

Quarto allatum ex Posidonio, inter alias diuinationis per somnia causas hanc agnoscente, quod anima per se futura præsentire possit, quia Deorum cognatione teneatur: cuius cognitionis & diuinandi facultatis argumentum sit cupiditas vnicuique innata sciendi, quid sibi in tempore futuro euenturum sit. His respondeo, non posse negari, quin nonnulla occulta futuri

tem-

temporis hominibus interdum per visa nocturna objiciantur; verum id non fieri, quia anima per se atque innata facultate propter Deorum cognitionem diuinare possit: sed quia ea cognitione, quæ est illi cum diuinis principiis, fit ut ab iis interdum aliquam lucem suscipiat rerum futurarum. Neque enim ex illa agnatione infertur facultas præfagiendi futura, qua anima talia per se videat, sed mera potentia qua sit apta superis interdum coniungi, atque ab iis quorundam quæ postea futura sunt notitiam accipere.

Quod autem diuinationis animæ argumentum censetur cupiditas omnibus innata hominibus, prænoscere quid sibi & aliis impendeat boni vel mali, aut quid aliud futurorum euentuum; respondeo, id quidem oranibus innatum esse hominibus, vt ignorantiam fugiant, scientiam expetant, non modo eorum quæ erunt, sed etiam sunt aut fuerunt. Id enim natura animæ requirit, vt nihil a se alienum putet omnium quæ mente comprehendi possint: quia in eo mentis perfectio sita est, vt omnia cognoscat quæ sciri possunt. Non tamen ex ea potentia & desiderio animæ inferri possit, huic eam vim cognoscendi inesse, qua omnia per se comprehendat; sequitur tantum, scire posse omnia vel proprio marte, vel aliunde adiutam. Nam & omnes naturaliter felicitatem expetunt, non tamen ad eam humanis viribus

peruenitur, sed diuino auxilio; trahatur oportet a Deo, & supra captum mentis humanæ illuminetur, quisquis ad ultimum bonum perueniturus est. Quemadmodum igitur non sequitur ex innato unicuique appetitu felicitatis, ut possit quisquam felix beatusque propriis viribus effici; neque ex illa sciendi cupiditate, ut proprio ingenio omnia quæ mundi ambitu continentur, omnia naturæ arcana, cœli omnem dispositionem, astrorumque numerum & vires, consequi valeat; sic neque ut futurorum contingentium occultas rationes mente attingat: sequitur dumtaxat, posse eius cognitionis dono Dei fieri compotem; quod fatemur, & ex dictis amplius patebit.

CAPVT IX.

An natura alii aliis magis apti ad diuinandum, & quibus rebus apti efficiantur.

HACTENUS ostendi, non esse inditam animæ humanæ facultatem ullam, qua se natura-liter ad vaticinandum expedit; non tamen iisdem argumentis effectum est, nullam esse in natura opportunitatem, qua nonnulli magis apti aliis ad donum illud Dei, quod diuinatio & prophetia dicitur, accipiendum reddantur. Superest proinde ut quæramus, num quid in ani-

anima aut corpore vatis existat natiui apparatus, aut proprietatis, qua aptior intelligatur ad ineundam cum superis societatem, sine qua nullam esse diuinationem ostendimus. Si consulimus Aquinatem doctorem, non est locus præparationi apud Deum, qui in iis quæ supra omnem naturæ ordinem excellunt, vt est prophetia, vel remotissimis subiectis, atque, vt sic dicam, infelicissimis quiduis patiendi & recipiendi legem facile imponit. Ita enim in Quæst. 172. artic. 3. 22^o habet: *Est autem considerandum, quod sicut Deus, quia est causa uniuersalis in agendo, non præexigit materiam, nec aliquam materiae dispositionem in corporalibus effectibus, sed simul potest & materiam & dispositionem & formam inducere: ita etiam in effectibus spiritualibus, non præexigit aliquam dispositionem: sed potest simul cum effectu spirituali inducere dispositionem conuenientem, qualis requiritur secundum ordinem naturæ.* Idem tamen fatetur in solutionibus obiectionum, inordinatos animi motus intemperantium & asotorum, item iracundorum, nempe inflamatam cupiditatem venereorum, aut iræ ardorem, non mediocre esse impedimentum prophetiæ: nec minus hanc turbidis rerum ciuilium fluctibus & curis negotiorum excludi, adeo vt non putet in talibus versantes vatuum posse munere fungi, quod eorum mens tota in rerum corporalium imaginibus defixa teneatur. Fatetur etiam, eum qui natu-

naturali esset sensu destitutus, hoc est, hebes, stupidus, vel male moratus, non esse aptum Dei instrumentum ad denunciandos hominibus futuros euentus; & causam affert, quia ad prophetiam maxima requiritur mentis eleuatio ad rerum intelligibilium contemplationem, cui obstare vehementiam passionum & inordinatam exteriorum rerum occupationem censet. *Vnde* (*inquit*) *de filiis prophetarum legitur 4. Regum 4.* *quod simul habitarint cum Heliso, solitariam vi-*
tam ducentes, ne mundanis occupationibus aliena-
rentur a dono prophetiae. Quæ cum Thomas fa-
teatur, non video quo iure negare possit, non
nullos homines melius aliis ad donum vatici-
nii suscipiendum natura esse comparatos, qui sci-
licet minus naturali corporis habitu & recta-
viuendi ratione inordinatis animi motibus sunt
obnoxii: qui item magno ingenio præditi, amo-
re contemplationis a vulgi turba & negotiosæ
vitæ tumultu & fluctibus longe recedunt.

Nec vero quam affert rationem ea alicuius
momenti est: ideo non requiri has naturæ op-
portunitates ad prophetiam, quia Deus his con-
trarios naturæ habitus & impedimenta tollere
potest. *talem* (*inquit*) *naturalem indispositionem*
remouet virtus diuina, que est prophetiae causa.
Nil, inquam, hæc ratio valet: nam & Deus im-
pedimenta quæ sunt in lapide, prohibentia ne
materia eius formam panis induat, auferre po-
test: *si filius Dei es, dic ut isti lapides panes fiant,*
in-

inquit Diabolus Matthæi 4. hanc creatoris in transmutandis rerum naturis potentiam confessus. Quæ item in membris paralyticorum, surdorum, cœcorum, mutorum, naturalibus eorum membrorum functionibus obstabant, momento sustulit Christus. Num propterea negandum, naturalem requiri partium corporis, quæ iis officiis inferuiunt, constitutionem habitumque ad certas functiones, puta neruorum ad motus voluntarios, aurum ad auditum, oculorum ad visum, linguae & vocalium instrumentorum ad loquendum? Id modo ex Thomæ illa ratione sequitur, Deum multo altiorem atque liberiorem agendi modum sequi in conferendo hominibus prophetiæ dono, quam in iis effectibus quæ sunt pure & simpliciter naturales. Etenim in his vbiique vim suam ad ordinem naturæ positasque leges accommodat, quas nunquam nisi vbi miraculo vult ostendere potentiam suam, ut in subita aquæ puræ in vinum conversione, & aliis eiusmodi portentis, transgreditur; non tamen negandum videtur, quin & in eligendis prophetis, naturalis hominum conditionis & animorum habitus sèpius habeat rationem. Quod igitur, Thomæ ipsius confessione, naturales quædam proprietates existant, quibus homines magis idonei ad prophetiæ lumen suscipiendum reddantur, nunquam Deum ad eas respicere absurdum videtur; si autem respicit aliquando, immo sèpius, ut arbitror,

tror, falsum est eas non requiri ad prophetiam; solum sequitur, non ita esse necessarias, ut non Deus, ubi vult, sine iis prophetas efficiat.

Quæcumque igitur siue intra siue extra hominem posita, animos certa naturæ ratione ad rerum altiorum contemplationem erigere possunt, per omnes mundi partes persequi atque indagare exinde conabor, ut quid horum Sibyllæ iure vindicari possit, appareat.

CAPVT X.

*De naturalibus adiumentis atque
opportunitatibus ad prophetiam re-
quisitis; ac primum de mentis
sublimitate.*

PRIMA naturalium ad prophetiam opportunitatum censetur præstans mentis indoles & sublimitas; qua qui prædicti sunt sic ad diuinorum contemplationem naturaliter rapiuntur, ut ferrum ad magnetem, & alia eiusmodi ad ea cum quibus quadam naturæ sympathia conspirant. Hæc autem propensio non inest nisi iis qui animum naturaliter magnum habent, vim scilicet mentis præstantem, excelsam, & lumenosam nacti sunt. Quæ quibus singulari naturæ dono tributa est, natura ad prophetiam apti præ aliis omnibus censentur. Ita quidem philosophi sciscunt, qui varios distinguentes in homi-